

.xii. OMELIA IN CIRCUMCISIONE DOMINI .

[.i.] INtelligentum est fratres karissimi et exponendum omnibus noui testamenti fidelibus . quod post consummationem octo dierum iesus circumciditur secundum legem moysi . et ibi compositum est illi nomen iesus ; quod gabriel archangelus nuntiauit ad mariam uirginem . antequam in utero conciperetur dicens . Aue maria gratia plena dominus tecum . benedicta tu in mulieribus . Ecce concipies et paries filium . et uocabit nomen eius iesum . Ideo secundum apostolum christus circumciditur ; Né legi dispar esset . ut est illud . Misit deus filium suum natum ex muliere factum sub lege . Nobis autem exemplum ostendit . ut nos in corde et corpore ab octo uitiis principibus mundati et purificati . illi soli seruiamus . et casti effecti .

[.ii.] Dominico digni iudicemur obtutu . Quicumque enim circumcisi cordibus fuerint ; regnum dei intrabunt . Et post octo dies a natuitate illius ; uocatum est nomen eius iesus . Hoc quidem significat . quia nomen uniuscuiusque octo uitia capitalia uincens . in libro uitiae scribitur . Quod uocatum est ab angelo .

/21v/ Angeli etenim hominibus reddunt testimonium . ut quoscumque dignos inuenerint . nomina eorum in libro uite scribantur .

Et nominibus scriptis . postea salus sempiterna possideatur . quod dicitur priusquam in utero conciperetur . [.iii.] Hoc etiam in isaac et iacob et iohanne iam prefiguratum est qui ante natuitatem suam propriis nominibus sunt uocati . Hoc quidem significat . quod sicut nomina filiorum promissionis scribebantur ante natuitatem suam . Ita procedunt merita sanctorum in caelis . dum adhuc uiuunt super terram . Quid est hoc iterum quod octaua die circumciditur puer iesus . qui erat in principio apud deum patrem et omniam per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil . uita et lux erat hominum .

Quid aliud preter hoc nisi cum uerus homo propter nos factus
est christus . ueram carnem suscepit propter salutem nostram?
In duabus enim substantiis erat . id est in substantia homi
nis absque peccato secundum humanitatem . [.iiii.] Et ideo secundum
diuinitatem primogenitus appellatus est . quia natus est
ineffabiliter ante omnia secula . et ante omnes creaturas . siue
in caelo siue in terra . et est omnium principium . quia pri
matum continet per naturam . et secundum substantiam hominis in qua
circumciditur . et infans et puer vocatus est . et gratia dei erat
cum illo . apud deum et apud homines . Sed si dicit aliquis
cur christus circumcisus est et purificatus in templo secundum
legem moysi . respondebimus ei . [.v.] Quoniam non uenit christus
soluere legem sed adimplere . Et ut non esset dissimilis
antiquis parentibus . id est abrahe et isaac et iacob ex
quorum progenie erat secundum carnem . ne excusando
dicerent iudei . Dissimilis es nostri . ideo nolumus credere
/22r/ in te . Sed quod illi fecerunt in carne . ille fecit in spiritu ;
quia nulla umquam in eum mala subrepsit concupisen
tia . Quid igitur significat circumcisio christi . nisi castitas
nostra? id est nostra continentia . qua dominus delectatur in no
uissimis temporibus . quoniam in primo seculo praeceptum est ;
crescere et multiplicare et implere terram et completa
est . nunc autem praecepitur¹ . ut qui modo habent
uxores . legitime ex eis utantur . tamquam non habentes .
Et sunt modo eunuchi . qui seipso castrauerunt propter
regnum caelorum . non in carne sed in spiritu . Qui potest
capere . capiat . [.vi.] Ac si dixisset aliis uerbis . Qui non
potest haec capere et se ipsum castrare ; id est constrin
gere se a carnis concupiscentiis noluerit . regnum cae
lorum non possidebit . Oportet nos ergo fratres karissimi cir

¹ praecepitur] corr . from praecipimus

cumcidi . non in carne sed in spiritu . et preputium nostrum a nobis
excidi . id est omne uitium carnis et spiritus . ut simus sancti
et inmaculati in medio generationis prauae et peruersę .
et inter eos luceamus sicut luminaria in mundo . uerba
uitae in nobis continenta . Quia sicut pro nobis christus uolun-
tate mortem suscepit . ita circumcisionem á sé non respuit .
ut nos postea in spiritu circumcidetur . quoniam nunc deus
circumcisione cordis nostri delectatur . sicut propheta dicit .
In nouissimis diebus circumcidet dominus deus tuus cor tuum .
et non carnem tuam . Et iterum . Circumcidite corda
uestra et non corpora . [.vii.] Haec est igitur fratres karissimi circum-
cisio cordis nostri . ut deponamus ueterem hominem id est
diabolum cum pompis et actibus suis . qui cotidie nos
corrumpere conatur per desideria carnis nostre . Depo-
/22v/nentes omnem iram et indignationem et blasphemiam . et for-
nicationem et inmunditiam et auaritiam et malam cupi-
ditatem . Et alia multa his similia . et induamus nouum
hominem id est iesum christum . qui cotidie bonis renouatur
actibus . hoc est ut mandata eius ác précepta custodiamus
et ambulemus in illis sicut ille ambulauit . Iohannes enim
aeuuangelista dicit . Qui dicit se christi esse discipulum . debet
ambulare quomodo christus ambulauit . Scrutemur ergo
fratres euangelia . et inueniemus in eis quomodo ille ambula-
uit . Ait enim . Vulpes foueas habent et uolucres caeli ni-
dos . filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet .
[.viii.] Ác sí dixisset . Omnia genera bestiarum habent cubicula
ubi habitent . ego autem nullam domum habeo propriam
super terram . ubi semper habitare debuissem . Et iterum .
Nemo mittens manum suam super aratrum et respiciens retro .
aptus est regno cælorum . Id est nemo bonam incipiens uitam .
et iterum relinquens et neglegenter agens . aptus est reg-

no dei . Item . Nolite thesaurizare uobis thesauros in
terra . ubi erugo et tinea demolitur . et ubi fures effodiunt
et furantur . Quia ubi fuerit thesaurus tuus . ibi erit et cor
tuum . Et iterum . Nemo potest duobus dominis seruire .
Unum enim diligit . et alterum contemnet . Item . Non potes
tis seruire deo et mamonae . Mamona autem diuitię inter
pretatur . ac si dixisset . Non potestis deo seruire ác diui
tiis et pompis huius seculi . sicut alio loco dominus dicit . Facilius
est camelum per foramen acus transire . quam diuitem intrare
in regnum cęlorum . Haec sunt ergo fratres karissimi mandata christi .
et haec est circumcisio qua nos mandauit circumcidere in corde
/23r/ non in carne . Contemnere ergo debemus diuitias et concipi
scentias seculi . sicut apostolus dicit . Nolite fratres effici inanis glorię
cupidi . et curam carnis ne feceritis in concupiscentiis . Et iterum .
Nihil intulimus in hunc mundum . uere nec auferre quid po
terimus ab eo . Sicut beatus iob dixit . Nudus exiui de utero
matris meae ; Nudum me iterum oportet in terram ire . Haben
tes ergo fratres uiictum et uestitum . secundum apostolum his contenti
simus . dum fuerimus in hac uita ; Ut felicius transire ualeamus
de hoc mundo ad caelestem patriam . Ubi bona inuisibilia
quae preparauit deus his qui diligunt eum possidebimus ; Pres
tante domino nostro iesu christo . qui cum eodem patre et spiritu sancto
uiuit et regnat . per infinita secula seculorum amen .